ACCENTVVM VETERVM GRAECORVM GENVINA PRONVNTIATIO.

DISPVTATIO SOLEMNIS
QVAM
DIVINIS SVB AVSPICIIS
ATQVE EX AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
PRAESIDENTE
ILLIVS IAM DECANO EODEMQVE
MAGNIFICO GEORGIAE AVGVSTAE [illegible]
PRORECTORE
IOHANNE MATTHIA GESNERO
PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
RITE ADEVNDIS
PVBLICO DOCTORVM IVDICIO SVBMITTIT

AVCTOR
IOHANNES MICHAEL KERN
PISONIENSIS HVNGARVS
SEMINARII PHILOLOGICI QVOD GOTTINGAE EST SODALIS.

A. D. XV. MENSIS NOVEMBRIS A. O. R. CIƆIƆCCLV. 1755.

GOTTINGAE
APVD ELIAM LVZAC

Summa dicendorum.

Accentus siue *προσῳδία*, altera pars *grammatisticorum* comprehendit omnem *recte vocem sonandi rationem*, & *altitudinem* eius & *longitudinem*, & *quosdam voces apte distinguendi & combinandi modos*. §. I.

Altitudo nomen *toni* accepit; &, vt est *suauissima*, sic, quae sit a recentioribus *perturbata*, eam imus ab internecione liberatum. §. II. Hoc contendentes ponimus

I. *Decreta* eius doctrinae, & *naturam toni* ita explicamus, vt

1) *rectum tenoris vsum* demonstrantes,

a) *grammaticam* eius vocis (*τόνου*) habeamus rationem: §. III.

b) in *genuina* eius *natura* ac *vi* exponenda,

partim accentus singulos; & *acutum* & *grauem* & *circumflexum* curatius euoluamus; §. IIII.

partim principia quaedam eius doctrinae, tumultuarie licet, commemoremus. §. V.

2) *Prauus* eius *vsus* intelligitur potissimum; dum discrimen *tenoris* a *quantitate* syllabarum vindicamus. §. VI.

II. Quae ad *historiam* eius rei pertinent, ita expediuntur, vt

1) quae circa eius *vigorem* obseruamus, eum in modum dispescamus, vt

a) illa, quae *a naturali initio profecta* grammatici antiquissimi, PLATO, ARISTOTELES, & maxime APOLLONIVS & alii, absque *signorum* adhuc *frequentatione* docuere, §. VII.

b) ab his, vbi res *adpictis vbique fastigiis* & *notis* augeri etiam coeperat, probe secernamus. §. VIII.

2) *Interiit* haec germana *tenoris* suauitas; quum *haec signa quantitatem* notare perperam *scholastici* putare coepissent. Quo morbo & *nostrae Scholae* laborant adhuc pleraeque omnes. §. IX.

Retinendas has *figuras* esse demum *coronidis loco* constituitur. §. X.

Accen-



Accentum dici romanis idem, quod graeci antiqui προσῳδίας nomine intelligunt, FABIVM 1), GELLIVM 2), vt caeteros taceam, auctores habemus; & ipſius *etymi* 3) fide conſtare videtur. Complectitur *vtraque harum* denominationum, in omni ſuo ambitu, & *ſyllabarum producendarum* doctrinam, & *toni*, ſimulque *ſpiritus*, qui literam primam vocis cuiusdam, praecipue vocalem, animat, *caeterasque notas*, quae ad rite pronuntiandam vocem quamvis, ſi ab rudibus elementis ac literis diſcedas, faciunt. Atque adeo *accentus* vocabulo ita vt προσῳδίας antiquis in vniuerſum omnis veniebat vnum quod-

que

1) M. FAB. QVINCTILIANVS *inſtit. orat.* l. 1. c. 5. §. 22. *edit. Magnif. Praeſidis.*

2) *Noct. Attic.* l. XIII. c. 6.

3) DIOMEDES *de oratione & part. orat. & var. gen. metrorum* l. II. *edit.* EL. PVTSCHII p. 425. *Accentus*, inquit, *dictus eſt ab accinendo, quod ſit quaſi quidam cuiusque ſyllabae cantus: apud graecos ideo προσῳδία dicitur; quod προσάδεται ταῖς συλλαβαῖς.*

que verbum ad modum *vocis* viuae, in qua ineſt cantus quidam obſcurior, bene ſonandi ratio 4).

Nempe *quod* prope *diuinum* mortalis ingenium admirandum ſane in modum vocis elementis, *dilabenti* illi & in ventos abeunti *aëri*, *vincula*, alis quaſi praecifis, *iniicere* docuit, *ita* ad ſuperficiem quandam planam hunc ſonum *adſtringendo*, vt in *aliud* quaſi *rerum genus* transferatur, & quae *auribus* tantum ſeruiebant antea, iam & *oculis* ſe conſpicienda praeberent: *idem* curatius animum aduertere pergens & minutiſſima etiam conſectari, *mox* in elementis eorumque ſyllabis, vt omnis natura varietate in primis gaudet, quae in tam immenſa rerum turba nihil vſpiam reliquit, quod non admirabili quodam varietatis artificio informauerit; *altitudinem*, *longitudinem* & *latitudinem*, ad trinae omnium corporum dimenſionis inſtar, deprehenſam diſtinxit 5). In *iuſto* huius varii ſoni *moderamine* multa ſermonis eſt *ſuauitas*, cuius omnis muſica nonniſi adumbrata imago eſt, vt & in hac rerum particula facile perſpicias, quae *neceſſitas primum* intulerit, ea *ſtudium* hominum *demum* perfeciſſe magis, & vt *ſuauia* ſibi quoque ſint, curaſſe.

Inde

4) THEODORVS GAZA veteres ſequutus: *προσῳδία*, inquit, *ἔστι τάσις ποία τις φωνῆς ἐγγραμμάτου, πρὸς εὐφωνίαν τοῦ ὅλου λόγου.* Ἡ *προσῳδία εἰς τέτταρα διαιρεῖτ' ἄν. οἷον εἰς τόνον, χρόνον, πνεῦμα, πάθος.* Et libro II. dicit: Ἡ *προσῳδία ὀξεῖα καὶ ἡ βαρεῖα καὶ ἡ περισπωμένη, τόνοι. ἡ δὲ δασεῖα καὶ ψιλή, πνεύματα. ἡ δὲ ἀπόστροφος καὶ ἡ διαστολή, πάθη.* Inde celebres illae decem proſodiae graecorum, quas ſingulas dein definit. Idquod & PRISCIANVS facit in libello ſuo *de accentibus edit.* PVTSCH. p. 1287.

5) PRISCIANVS l. c. p. 1285: *Habet litera*, inquit, *altitudinem in pronuntiatione*, *latitudinem in ſpiritu*, *longitudinem in tempore*, *h. e. aut alte*, *aut late*, *aut longe auditur*.

Inde in *duo* iam diuidendum fuerat primis ſtatim grammaticis, quicquid in *grammatiſticis* ſiue ſermonis fundamentis, quae vulgo vocant, circa ipſa *elementa* literis expreſſa, eorumque *ſonum* dici poteſt: quorum *vna* pars, eaque *prior notas* ad formanda *elementa*, ſimplicem igitur oris & linguae fictionem ac conformationem docet, rudemque continet elementorum pronuntiationem; *altera* & *poſterior*, ad elementorum & literarum ſimilitudinem, omne id comprehendit, quod ad *diuerſum ſonum* rudis illius aëris emiſſi, ad variam *voculationem* ſyllabarum, & ad ſuauitatem inde vocis *moderatae* attinet. Qui omnis ſonus in quaque ſyllaba pronuntianda, adeoque grammaticus & literarius 6), quod eſt cantus alicuius inſtar, προσῳδίας iam & *accentus* vocabulum accepit, hebraei טעם *guſtum*, vocant; atque *altitudine*, ſiue contentione vocis aut ei oppoſita remiſſione, *longitudine* & ſyllabarum mora, *latitudine*, quam ſpiritus aſper vel lenis moderatur, *paſſionibus*que quibusdam, quas vocant ἀπόςροφον, ὑφὲν & ὑποδιαςολήν, adiuuatur & perficitur. Quare neque graecorum προσῳδίας, neque latinorum *accentus* nomen ſiue *ſolam* ſyllabarum *productionem*, quam vnam recentiores, quo iure, neſcio, προσῳδίαν dicunt, ſiue vocis *intentionem* aut *remiſſionem* duntaxat primum deſignat. Dicitur quidem *prima* inter has quatuor προσῳδιῶν ſiue accentuum ſpecies, *accentus ſpecialius*: *ſolam* autem, quantumuis eam a *mora* & *quantitate* ſyllabarum maxime diſtinguendam videam; omnis tamen *accentus*, niſi *arctius* dicti, nomine temere habere nolim. Multo minus ſuffrager iis, qui *accentus* voca-

6) Docet ille quidem ſonum *ſingularum* duntaxat *ſyllabarum* rite pronunciandarum: verum penes hunc demum & omnis eſt oratoria ſoni modulatio, qua continuum ſermonem in iucundiores dicendi rationes artifex flectit, & in delectabilem auditus formam conuertit, acerbitatis vitandae gratia.

vocabulum ad *ſola* tenoris *ſigna* reiiciunt, quae ſi quis vocum *notas*, *faſtigia* vel *cacumiua*, quod capitibus literarum apponantur, dixerit, preſſius ſane atque exactius loqueretur, meliusque diſtingueret.

II. Haec *princeps accentuum* pars, quae ſuo nomine, quod ab eius *officio* deſumtum eſt, *tonus* ac *tenor* appellatur, & ad odioſam ac moleſtam vnam quandam ſpiritus ac ſoni intentionem euitandam ab ipſa etiam natura dictata eſt, fuit in ore hominis graeci olim multo elegantiſſima ac ſuauiſſima, ob dulcem quandam ac canoram vocis modulationem, quae graecis & pluribus orientis populis propria eſſe videtur, cuius *veſtigia* obſcura, & tenuia licet rudera in *ſermone hungarico* & *graeco* decenter, diſtincte atque eleganter modulato ad noſtram vsque aetatem aduertas, quae apud hos, qui occidentem ſolem & ſeptemtriones magis ſpectant, non tam facile deprehendas. Elegantiſſimam hanc graecae literaturae particulam, *genuinum ſonorum graecorum vſum* puta, qui ab auctoritate antiquorum, quaſi a magiſtro, recedens, reduci feliciter nondum potuerit, priſtino nitori, luci ſuae ac libertati reſtituere tento; eundemque ſimul mouere ſtudeo lapidem cum viris, qui artibus repurgandis gnauiter incumbunt; quantumuis parum adhuc pro voto atque ex aequo progreſſi ſunt ob pertinacem plerumque turbae mortalium, harum literarum ignorationem.

Si quid olim in *his literis* benigniſſimum Numen opellam meam proficere largitus fuerit, id omnino, cui & *haec prima tentamina* debeo omnia, acceptum referre *animo* quam *maxime grato pietas* iubet *Magnifico Praeſidi*, viro, vti *in omni officiorum genere plurimum venerando*, & in *literatura* certe *humaniori*, in qua me *hoc duce*

at-

atque *auctore* vſum aeternum iuuabit, merito iureque ſuo ſeculi noſtri *Varroni*, ita *liberaliſſimo* cumprimis ſtudiorum meorum *fautori* ac *promotori muníficentiſſimo*.

En huius conſilii meique ſtudii qualecunque ſpecimen!

III. Ea *accentus* ſiue προσῳδίας pars, quae *ſonum* ſyllabarum cum ſuaui quadam vocalitate nunc *intendere* magis, nunc *minus*, quod *remittere* dicitur, docet, a latinorum verbo *tendere tenor* 7) denominatur, quos, natura duce, iam antecesserant graeci ab τείνειν τόνον declinantes. Vſi ſunt hoc vocabulo & hac deriuatione grammatici; quod *vox*, vt *nerui*, qui quidem omnes ſunt tenſi, aliquo certe modo, quo *remiſſior*, non penitus quidem, ſed tamen *minus tenſa*; hoc & *grauior* & plenior: quo *tenſior*, hoc tenuis & *acuta* magis eſt. Nam ſonum ab maiori *neruorum intentione*, fieri fortiorem *viuidiorem*que ſimul & *altiorem*, quod in *voce* animaduerſum eſt, ipſa, quamuis adhuc rudis, iam profeſſa eſt ars muſica, a *monochordo* PYTHAGORAE inde. Quare, quum omnis haec ratio a *chordis* ſit ducta; facile videmus, quid ſit, quod non maior ſola vocis *contentio*, ſed &, quae illi opponitur, eius *remiſſio*, *intenſa* tamen & ipſa ſuo modo plerumque, immo & harum participationis *medium*, *toni* exprimatur nomine: latius enim omnis ſoni *vocis ratio ex intentione* ſumta dicitur *tonus* 8). Haec ipſa *toni* ſiue

7) QVINCTILIANVS inſt. orat. l. 1. c. 5. §. 22. edit. cit. *tenores* ab antiquis dictos *tonores* comperit, quaſi videlicet, declinato a *graecis* verbo, qui τόνȣς dicunt.

8) Inde eſt, quod idem & continuus ſonus vocis tamen intentio dicatur, vna nimirum ſpiritus & ſoni elatio, quam graeci μονοτονίαν vocant. Huc quodammodo facere videntur ARISTOTELIS verba l. III. rhet. ἀνάγκη γὰρ, inquientis, ὑποκρίνεσθαι, καὶ μὴ ὡς ἓν λέγοντα τῷ αὐτῷ ἤθει καὶ τόνῳ εἰπεῖν.

ſiue *tenoris* denominationis ratio quemque poteſt docere, poſuiſſe grammaticos illos *tenorem vocis* nonniſi in *gradu* eius, eoque vocabulo *ſolam intentionem* dixiſſe. Itaque, ſi recte illi praecipiunt, qui *intentionem* rei ab eius *extenſione* differre perhibent; vt *illam* ponant, vbi *vis gradusque maior* acceſſit, *hanc*, vbi conſpiciuntur *partes iuxta ſe poſitae*: grammaticos vtique, qui *extenſionem* & productionem ſyllabarum *quantitatem* dicunt; ab ea vero *vocis intentionem tenoris* vocabulo notatam diſtinguunt, ſequendos duco.

IV. Age, ad *rem* iam accedamus propius. Dicimus *tenorem* vocale eſſe quoddam ſoni moderamen *circa intentionem vocis* 9). Repetam, quae ſentio, paulo altius. Quantumuis literae quaeque ſono ſuo ſimplici, ore rite informato, protrudantur, & pronuntientur ad moram iuſtam: tamen ingratus fuit ſemper vnus & continuus ſonus; niſi aer ille incitetur modo *fortius*, & *altius* euehatur, modo *remittatur*, maxime vt res poſcere ipſa videtur. Idquod *a naturali* quodam initio venit, & ad ingenium cuiusque linguae ipſe *vſus* accomodauit, *ſigno* demum quoque graeci notarunt, eorum in gratiam, qui ex vſu hanc ſuauitatem & hunc linguae genium non capiunt, eoque naturae rei valde conformi, vt ipſo ductu ab imo in altius ad modum quendam ſagittae emiſſae vocem intendendam ac tollendam cognoſcas, quae pronuntiatio, quia ad maiorem quandam aciem aſcendere & ſubtilior penetrabiliorque, & nova metaphora altior ſublatiorque videbatur,

9) Tonum graeci ipſi definiunt eſſe ἐπίτασιν, ἢ ἄνεσιν, ἢ μεσότητα συλλαβῶν [εὐφωνίαν ἔχουσαν.

batur, *acutae* vocis (ὀξεῖα ab ἀκὴ) vt equidem arbitror, nomen accepit. Verbum inde, cuius ſyllaba *vltima* hunc *intenſiorem ſonum* habet, dicitur ὀξύτονον: ſin illa acuatur ſyllaba, quae *penes* eam eſt, παροξύτονον; ita vti quae & hanc adeo *antecedit*, ſi acuminanda eſt, προπαροξύτονον audit.

Quodſi ſyllaba vltima, quae caeteroquin *acuenda* foret, propter aliquem autem vocum nexum arctiorem, graeci συνέπειαν dicunt, iam acuminanda non eſſet, ſed *deprimenda*, vt caeteris eius vocis ſyllabis aequali ſono proferatur: nota illa ſoni acuti *abiicitur* quidem; ſed ne quid tirones turbarentur etiam aut peregrini, *ſigno* ipſo quodam cautum eſt, eo nempe, quod acuti ſoni eſt, *inverſo*, quod deſcendentem ſagittam referre poterat, adeoque ſyllabam ab acie ſua, quam extra nexum cum voce ſequenti habere ſoleat, iam propter cohaeſionem verborum deturbatam eſſe, caeterisque quoad ſonum aequalem pronuntiandam. Quare iam conuerſa illa acuti virgula *grauis* audit, & eſt nota eius ſoni, quem *aliae* ſyllabae, praeter acuminatas, omnes habent, quae quod frequentes nimium eſſent, & earum ratio eſſet communis, facileque ex oppoſito intelligerentur; expreſſis notis ſingulas indicare ſuperuacaneum foret. Sin illa vox *ex* arcto illo, quem cum ſequenti habuit, *nexu*, qui vnus cauſa deprimendae ſyllabae fuit, *excedat*; *redit faſtigium* illud & ſonus acuminans. Quod reliquum eſt, omnia vocabula, quae vltimam non *acuunt* aut *circumflectunt*, grauitona (βαρύτονα) nuncupamus, hoc eſt, verba, quorum ſonus vltimae ſyllabae ab ſono eius pronuntiationis communi non differt; ſi vero ad acutum referatur, paulo videtur *depreſſior* omnino ac grauior.

Circumflexi porro *natura* haec eſt, quae ſequitur. Vocalis producenda *duplicem* quaſi habet *moram*, quarum tamen ſemper *vna* tantum *eleuatior* pronuntiatur, ſi eius ſyllaba *tonum* habet. *Iam* ſi mora *prior intendenda*, hoc eſt, elatior eſt efferenda; *poſterior* caeteris vocis vocalibus *aequalis* in ſono putatur, quam, ne quis aberret, inuerſo acuto, *grauis* illo (`) *ſigno* tuti ſunt, quod demum cum acuti ſoni nota (´) coaleſcens (^), quum continuo vtraque ducenda eſſet mora, ne *duae* haberentur *ſyllabae*, ſonum *circumducendum* quaſi deſignauit. Haeſit illi faſtigio eius rei (*circumflexi*, *περισπωμένȣ*) nomen: & dicitur adhuc verbum, cuius vltima ſyllaba ita *circumducitur*, *περισπώμενον*; ſin praecedens vltimam ſyllaba hoc *circumflexi* ſigno notatur; *προπερισπώμενον* appellatur. *Alterum* quod ex hac *circumflexi notione*, quam dedimus, intelligi videmus, iam expediamus. Si nempe mora eius vocalis longae aut duplicem ſonum habentis *poſterior acuenda* eſſet: videbantur homines facilius cauere poſſe, ne *priorem etiam* efferant ac tollant. Quare & ſimplici nota acuti (´) eam ſignatam paſſi ſunt, eamque in *poſteriorem ſemper vocalem* ponendam. Hoc ſignum plane *prioris* inuerſum (ˬ) eſſe debebat; ſi vtriusque morae *altitudinem* notare animus fuiſſet.

Caeterae ſyllabae omnes, quae ſono *intenſiori* proferendae non ſunt, ſed *aequabili* & eius ſermonis *communi*, *graues* dicuntur & *iacere*; ſi eas nempe compares ad *altitudinem* illam, quae nonnullis illius orationis ſyllabis ineſt.

Haec iam omnis *tenoris*, ſiue *accentus* huius *ſpecialius dicti*, eaque *genuina* videtur *vis*, qua veluti fundamento ſuo *voculationis doctrina* nititur. Et, quum hic *tonus literarius* vnum nempe duntaxat *vocis intendendae*,

&

& a sono orationis *vno* deflectendae modum docet: intellectu est facile, si nobis nunc demum formanda haec essent *signa*; *vnum* modo *sonum*, *altiorem* scilicet, ex hac *toni literarii doctrina* percipientes, etiam *vno* eius *intentionis* siue *tenoris signo*, virgula illa ad altiora tendenti curate illi imponenda vocali, quae intendenda esset, posse esse contentos. Ex opposito facile cognoscimus sonum, qui dicitur, in comparatione ad hanc maiorem *intentionem*, *gravis*, qui est orationis illius communis.

V. Tantum vero abest, vt haec eo dicam, quo quae vetustatis nituntur auctoritate in tali causa sancte colenda, innouanda putem, quod forte cum metu fieret, ne omnem hanc elegantiam plane amitteremus: vt potius nihil iam magis in votis habeam, quam vti tandem iam aliquando, post tot tantosque de omni re litteraria egregie meritos viros, qui infinitis multo cum sudore congestis regulis, quae ab *exemplis*, & *a posteriori*, quod aiunt, sunt formatae, nos docent, quae cuiusque vocis syllaba caeteris altior sit euehenda; certa, eaque facilia, his, quae de *natura tenoris* tenemus superstructa fundamentis, *principia cognoscendi ac diiudicandi toni* huius, quantum eius fieri licet, constituantur, vt ne difficultate hac, quae prorsus insuperabilis multis videtur, innumerabiles in limine eius statim perterriti ab hac sermonis graeci parte plane arceantur. Et quod iam praeclara tot ingenia, quae his literis operam nauant, (id quod in omnibus iam ferme tentatum est disciplinis,) purioris doctrinae solidioris decreta ad *philologiae studii* commodum transferre videmus; huius profecto messem in herbis mihi iam videre videor. Etiamsi is, qui hac via primus ingredi instituerit, omnem rem non perficiat; progredi certe multum iam poterit.

 Hanc

Hanc voculationem, hoc ſoni moderamen, quod vniuerſum *tonum* vocamus, omne circa *vocis* verſari *intentionem*, quam ſi teneamus, caeteras ſyllabas facile *vno & remiſſiori* modo ſonare poſſumus: *hoc fundamento* ſecuris prorſus iam inſiſtere licet. *Intendunt* vero vocem graeci, vt alii homines, quum ſyllabam *magis audiri* ſtudent. Inde omnino iam varia elici poſſunt, quae ad intelligentiam *toni* faciunt 10). Non ego quidem is ſum, qui negem, magnam in hac cauſa partem ſibi vindicare hominum arbitrium, ita vt ingenio cuiusque linguae plerumque debeatur, quam maxime *intendas magis* ſyllabam: *naturae* tamen *conuenientius* mihi facere videntur, qui ſyllabam vocis *praecipuam*, &, vbi cum aliis vocibus eiusdem ſoni eſt *confuſio metuenda*, *vltimam intendunt*, quam qui ob praecipitatam quandam feſtinationem *ſolam* vltimam *tono* adficiunt. In graecorum maxime ſermone *priorem* obtinere conſuetudinem videmus; adeo vt inde plerumque verba, quae *duarum* ſunt *ſyllabarum*, *tonum* in *priori* habeant, niſi interdum *terminatio* eius ob cauſam,

10) Inde eſt, quod decem illae voculae, quae verbis ſuis praeponuntur,

vna coniunctio εἰ,
duo aduerbia οὐχ (vel οὐκ, οὐ) ὡς
tres praepos. εἰς (vel ἐς) ἐκ (vel ἐξ) ἐν,
quatuor terminationes articulorum ὁ, οἱ, ἡ, αἱ,

accentu hoc, ſiue tono intenſiore plane carent; quod eas in ſermone, vt prae caeteris audiantur, non deſideramus. cf. gram. march. gr. p. 1001.

Par ratio eſt vocum, quae inde ἐγκλιτικαί, vocitantur; quod quaſi reclinentur, & cum praecedenti verbo ſuo coëant. Has ſermocinantes vltra tonum orationis communem non efferimus; niſi vbi id nexus, aut dicendi vis poſcat. Conf. omnino gram. march. gr. p. 1003 & quos ibi teſtantur p. 1004. APOLLON. & HERODIAN.

ſam, quam iam iam diximus, potius eſſet *intendenda.* Si *plures* adſunt *ſyllabae*; in ea, quae *ante* illam, quae *penes* eſt *vltimam* quam plurimum eſt *tonus*: manet enim in omni eius *flexione* illa ſyllaba *intenſa*, quoad eius fieri poteſt; & fiunt multae omnino vocum acceſſiones in fine earum. *Longius*, quam *vltra tertiam* a fine ſyllabam *tonum* recedere graecorum linqua communiter non patitur. Et videtur ea ſermonis ſuauitas graecis *propria*, vt, quantum eius fieri poſſit, *ante* ſyllabam, cuius vocalis *duplicem moram* habet, *vocem intendant*, quam deinceps in ſequenti ſuauiter modulentur ſono *remiſſiore.* Quare etiam fit, vt *vltima ſyllaba*, vel quae *penes* eam eſt, ſi *vocalem longam* vel *duplicis ſoni* habeat, proxime *praecedens acuatur.*

Quod vero ad diuerſa *ſigna* ipſa *circumflexi* & *acuti* attinet, illud ſic accipio. Si vocabula *diſſyllaba*, quae quidem frequenter παροξύτονα eſſe diximus, vltima breui, *primam* vocis ſyllabam duplicis morae habeant: *acuitur* eius mora *prior*, *poſterior deprimitur;* adeoque ſunt προπερισπώμενα. Ex eadem ratione *monoſyllaba circumflectuntur* plerumque; ſi nempe *prior* mora eſt *acuenda*, niſi *vltimam* moram eius vocalis aut diphtongi *ſolam intendas.*

Quum praeterea illa ſit *contractionis* verborum natura, vt propter ſuauiorem genti cuidam facilioremque pronuntiationem *mora aliqua* ſyllabae *intercidi* videatur: retinent tamen & *circumducunt* ſyllabam, ſiquidem eius *prior accentum* hunc habuerit. Maxime nos etiam iuuare debet *analogiae* ratio, in *motione generis* praeſertim, ac *vocum flexione.* Quod autem multa pro *diverſa dialecto diuerſe* modulentur graeci; id omnino in omnibus ferme linguis vſu venit, nec in graecorum ſermone infi-

 nitum

Hanc voculationem, hoc ſoni moderamen, quod vniuerſum *tonum* vocamus, omne circa *vocis* verſari *intentionem*, quam ſi teneamus, caeteras ſyllabas facile *vno* & *remiſſiori* modo ſonare poſſumus: *hoc fundamento* ſecuris prorſus iam inſiſtere licet. *Intendunt* vero vocem graeci, vt alii homines, quum ſyllabam *magis audiri* ſtudent. Inde omnino iam varia elici poſſunt, quae ad intelligentiam *toni* faciunt 10). Non ego quidem is ſum, qui negem, magnam in hac cauſa partem ſibi vindicare hominum arbitrium, ita vt ingenio cuiusque linguae plerumque debeatur, quam maxime *intendas magis* ſyllabam: *naturae* tamen *conuenientius* mihi facere videntur, qui ſyllabam vocis *praecipuam*, &, vbi cum aliis vocibus eiusdem ſoni eſt *confuſio metuenda*, *vltimam intendunt*, quam qui ob praecipitatam quandam feſtinationem *ſolam* vltimam *tono* adficiunt. In graecorum maxime ſermone *priorem* obtinere conſuetudinem videmus; adeo vt inde plerumque verba, quae *duarum* ſunt *ſyllabarum*, *tonum* in *priori* habeant, niſi interdum *terminatio* eius ob cauſam,

10) Inde eſt, quod decem illae voculae, quae verbis ſuis praeponuntur,

vna coniunctio εἰ,

duo aduerbia οὐχ (vel οὐκ, οὐ) ὡς

tres praepos. εἰς (vel ἐς) ἐκ (vel ἐξ) ἐν,

quatuor terminationes articulorum ὁ, οἱ, ἡ, αἱ,

accentu hoc, ſiue tono intenſiore plane carent; quod eas in ſermone, vt prae caeteris audiantur, non deſideramus. cf. gram. march. gr. p. 1001.

Par ratio eſt vocum, quae inde ἐγκλιτικαὶ vocitantur; quod quaſi reclinentur, & cum praecedenti verbo ſuo coëant. Has ſermocinantes vltra tonum orationis communem non efferimus; niſi vbi id nexus, aut dicendi vis poſcat. Conf. omnino gram. march. gr. p. 1003 & quos ibi teſtantur p. 1004. APOLLON. & HERODIAN.

ſam, quam iam iam diximus, potius eſſet *intendenda*. Si *plures* adſunt *ſyllabae*; in ea, quae *ante* illam, quae *penes* eſt *vltimam* quam plurimum eſt *tonus*: manet enim in omni eius *flexione* illa ſyllaba *intenſa*, quoad eius fieri poteſt; & fiunt multae omnino vocum acceſſiones in fine earum. *Longius*, quam *vltra tertiam* a fine ſyllabam *tonum* recedere graecorum linqua communiter non patitur. Et videtur ea ſermonis ſuauitas graecis *propria*, vt, quantum eius fieri poſſit, *ante* ſyllabam, cuius vocalis *duplicem moram* habet, *vocem intendant*, quam deinceps in ſequenti ſuauiter modulentur ſono *remiſſiore*. Quare etiam fit, vt *vltima ſyllaba*, vel quae *penes* eam eſt, ſi *vocalem longam* vel *duplicis ſoni* habeat, proxime *praecedens acuatur*.

Quod vero ad diuerſa *ſigna* ipſa *circumflexi* & *acuti* attinet, illud ſic accipio. Si vocabula *diſſyllaba*, quae quidem frequenter παροξύτονα eſſe diximus, vltima breui, *primam* vocis ſyllabam duplicis morae habeant: *acuitur* eius mora *prior*, *poſterior deprimitur*; adeoque ſunt προπερισπώμενα. Ex eadem ratione *monoſyllaba circumflectuntur* plerumque; ſi nempe *prior* mora eſt *acuenda*, niſi *vltimam* moram eius vocalis aut diphtongi *ſolam intendas*.

Quum praeterea illa ſit *contractionis* verborum natura, vt propter ſuauiorem genti cuidam facilioremque pronuntiationem *mora aliqua* ſyllabae *intercidi* videatur: retinent tamen & *circumducunt* ſyllabam, ſiquidem eius *prior accentum* hunc habuerit. Maxime nos etiam iuuare debet *analogiae* ratio, in *motione generis* praeſertim, ac *vocum flexione*. Quod autem multa pro *diverſa dialecto diuerſe* modulentur graeci; id omnino in omnibus ferme linguis vſu venit, nec in graecorum ſermone infi-

 nitum

nitum prorſus laborem eſſe arbitror 11). Habet hic quispiam, vbi vires ſuas in *arte didactica* experiri poſſit.

VI. Singula haec atque vniuerſa 12) de *recto toni illius*, ſiue *accentus ſpecialius dicti vſu* valent. His ſubiungimus quaedam, ex quibus *peruerſus vſus*, qui a longo inde iam tempore obtinuit, & me ad hanc conſcribendam *commentatiunculam* maxime compulit, cognoſcatur. Confundunt *recentiores plerique tonum* cum alia proſodiae ſpecie, quam *quantitatis* ſyllabarum nomine habemus. Potuit hic error Teutonum filiis aliisque eo obrepere, inſcientibus etiam, facilius, quo maior linguae eorum eſt grauitas, & longis ſyllabis abundat. Non poteſt non inde fieri, vt *intenſa* ſyllaba ſaepius ſimul etiam ſit *longa*, *longaque* ipſi adhaeſerit ex vſu *pronuntiatio*. Quare demum etiam per *fallaciam* illam, qua quid *cauſa* eius rei putatur, quod reuera eius *cauſa non* eſt, *accentiunculas* has, *intenſae vocis ſigna*, *protractas* efficere ſyllabas etiam breues, ſi in illis *haec nota* reperiatur, perperam opinantur 13). *Praua* haec conſuetudo quaecunque *acuenda* eſt ſyllaba, eam *producit*; & *corripit* ſono orationis *communi* pronuntiandam. Quis, quaeſo, ibi numerus in ſermone graeco, vbi multae, imo plurimae ſyllabae a veteribus *productae corripiantur*, aliae vero *correptae*

iam

11) Longum foret, haec ſingula teſtimoniis firmare, aut illuſtrare exemplis. Dubitationem plane nullam habent, & in quolibet huius conſilii libro cognoſcere ea licet.

12) Sunt quidem & iſta, quae hactenus dicta ſunt, ex ſuis quaeque hauſta fontibus: quod autem compendii cauſa librum hac excerptorum & annotationum mole excreſcere non ſinamus; id rationes noſtrae a nobis flagitant.

13) Indagabimus peſtis illius ſcaturiginem in parte huius commentationis poſteriori, quae omnis hiſtorica eſt futura.

iam *producantur.* Fruſtra de orationis numeroſa compoſitione apud graecos ARISTOTELES, DIONYSIVS & alii innumeri *doctiſſimi viri*, fruſtra CICERO & QVINCTILIANVS praeceperunt; ſi *tonum* ſyllabae cum *tempore* confundamus. *Differunt* inter ſe τόνος & χρόνος in immenſum vsque.

Non negamus eam ſyllabarum eſſe *fortunam*, qua vnaquaque *remiſſior* ſit vel *intenſior*, ſimulque *longior* trahatur, vel *praecipitetur breuior*; ſi quidem & *quantitatem* & *tenorem* ſyllabarum *latius* ſumas. Atvero, qui quae pro *diuerſa ratione* nonnunquam in ſyllabis *caſu* potius quam *conſilio* concurrunt, prorſus *eadem* iudicat; ita vt *intenſum* ſonum a mora *longa*, & ſyllabam *breuem* a *remiſſiori* non differre cenſeat: nae is *vsque* vtriusque *naturae*, cyclopum more, repugnatum ibit, *quoad intentio* & *extenſio*, *altitudo* & *longitudo*, eorumque *oppoſita diuerſa* inter ſe ſunt ac differunt.

Id *inde* etiam cognoſcimus, quod ipſe *vſus* quemque docet, *maiorem* illam vocis *intentionem*, quae *tonus ſenſu eminentiori* dicitur, non in ſyllabam modo *longam* incidere, ſed in *breuem* etiam frequenter, quae, hoc facto, naturam ſuam minime mutet. Imo, quod iis, qui *aduerſa* hic nobis tenent, admodum παράδοξον fortaſſe videtur, ſunt ſyllabae, quae *intenduntur magis*, ſi *breues* ſunt; ſin *longam* moram habeant, ſono *remiſſiori* proferuntur 14). Quare & ſit etiam, vt *tonus* mutetur, ſaluo χρόνῳ

14) Nomina in αμος ſunt προπαροξύτονα; ſi *illa* ſyllaba cum *ſequentibus duabus* eſt *breuis*: quale eſt κάλαμος, πρίαμος &c: ſin habeat *antepenultima* vocalem *longam*; non *acuitur* illa, ſed ſyllaba *in fine* vocis, vt: χηραμός, ὀυλαμός. ſ

Eodem loco cenſenda ſunt *denominatiua polyſyllaba in* ιον.

Sunt

χρόνω; & multo plures *longas* syllabas *iacere* videamus, & *tono* illo *intensiore* carere, quam *intendi altius* 15). Huc demum accedunt *diuersae tenoris rationes* apud graecos & latinos, vbi tamen, interdum eandem *temporis* mensuram habent & χρόνον eundem. Nempe graeci τόνον polysyllaborum nonnunquam suspendunt a χρόνῳ syllabae vltimae, vt, quoties vltima longa sit, tonus non possit esse in

Sunt haec προπαροξύτονα, quando illa syllaba *antepenultima* est *breuis*, vt: ἀργύριον, σωμάτιον: vbi autem *syllaba illa longa* est; verbum est παροξύτονον, quale est; θηρίον, κηρίον, παιδίον, στρουθίον, τεκνίον.

Nec prorsus abs re nostra esse videntur illa DIOMEDIS verba edit. PVTSCHII p. 425: *acutus in correptis semper, interdum in productis syllabis versatur.* Adstipulatur his in latinis & PRISCIANVS l. c. p. 1288. c. *Syllabae, quae correptam vocalem habent, acuto accentu proferuntur, vt: fax, pix, nix, nux, dux, quae etiam tali accentu pronuntiandae sunt, quando sunt longae positione; quia naturaliter breues sunt.*

15) HOMER. ΟΔΥΣ. λ. v. 205. sqq.

Τρις μεν εφωρμηθην, ελεειν
τε με θυμος ανωγε.
τρις δε μοι εκ χειρων σκιη ικε-
λον η και ονειρῳ
επτατ᾽· εμοι δ᾽ αχος οξυ γε-
νεσκετο κηροθι μαλλον.

Et VIRGILIVS Aeneid. lib. II. v. 792. sqq.

Ter conatus ibi collo dare
brachia circum:
Ter frustra comprensa manus
effugit imago
Par levibus ventis, volucrique
simillima somno.

in antepenultima. Latini ſolam penultimam reſpiciunt, quam, ſi longa eſt, intendunt fortius; acuunt eius praecedentem, quae adeſt, ſi ipſa eſt breuis penultima 16).

Eſt iis, qui diuerſae pronuntiationi aſſueuerunt, haec praeceptio oneri, eique aliquantum improbiori. Moleſtiam fatemur ipſi non tam cito ſuperandam exhiberi nobis primum & ſentimus, acuere ſyllabam conantes ac praecipientes, vbi ſoni acuti imponitur ſignum, & circumflexam acuto primum, mox ſub finem remiſſiori, caeteras ſyllabas communi orationis ſono efferre, ita vt ſolae longae producantur, corripiantur vnae breues, ſiue tolli, ſiue communiter eas pronuntiari oportuerit. Et ſunt omnino, qui ad hunc eleuandum laborem ſuadeant, toni prorſus nullam rationem habendam eſſe tantiſper, dum peruerſa tonum cum tempore permiſcendi conſuetudo deponatur; quod nullam aliam primae reſtituendae pronuntiationis viam habeant aut expeditiorem, aut praeſtantiorem. Cenſerem ego, rem, quae in adultis paululum deſperata ferme videtur, felicius apud illos ſuccedere, qui ad hanc linguam diſcendam demum accedunt. Verum ad hiſtorica iam transeamus.

VII. Quemadmodum artium & rerum omnium bonarum *initia* quaedam ſunt in ipſa *natura* hominis inſita, quae deinde *diſciplina* & *exercitatione* augentur; ſic etiam *cantus* quaedam *initia* ſunt in illis, quae τὰ πρῶτα *naturae* vocantur. *Naturali* quodam *initio* cantillare homines & praeter caeteros, quos *Orientales* vocamus, hoc eſt *tollere vocem* & *ſubmittere* ſupra demonſtratum iam eſt.

Non poterat itaque *ipſius rei*, hoc eſt, huius in ſermone ſuauitatis, apud *primos* etiam *Philoſophos* ac Grammati-

16) Itaque graecus non pronuntiaret *intélligunt*; ſed *intelligúnt*. Latinus non Δημοσθένης; ſed *Demóſthenes*.

ticos prorſus nulla fuiſſe memoria; nec proprio nomine carere: etiamſi, quoad vna cum lacte materno facultas linguae graecae perciperetur; *ſignis* vſi non ſint, & rem ſub regulas minime vocarint. Certe PLATO 17), vt pro dictione Διῒ φίλος, nomen hominis vnum Δίφιλος nobis exiſteret, altero ἰῶτα ſublato, pro *acuto* mediae ſyllabae ſono φι, quae *acutum* habet in ſimplici φίλος *grauem* & iacentem ſonari docet; & alibi vocales etiam interſeri contendit, quo *acute* pronuntiemus iam ea, quae ante ſonabant *grauiter*. Pari modo & in voce ἄνθρωπος argumentatur.

TRYPHONEM docuiſſe, ARISTOPHANEM τὸν λαγών (*leporem*) dixiſſe *acute* & cum ν finali, ATHENAEVS 18) eſt auctor. Argumentari aliquis inde poſſet, iam ante TRYPHONEM illum, id eſt, ante *Auguſti ſeculum* fuiſſe comoedias quasdam ARISTOPHANIS *accentuum* etiam *ſignis* notatas, quibusdam certe: qui enim ſciri potuiſſet λαγω *oxytonon* eſſe illi, non *periſpomenon* aut *paroxytonon* adeo? Subiicit 19) & XENOPHONTIS mentionem, qui ſine litera finali ν & *circumducte* dixerit λαγῶ. Nae hoc inde conſtabat, λαγῶ eſſe *periſpomenon*, λαγών autem *oxytonon*. *Tria*

17) In *Cratylo* p. 263. g. Διῒ φίλος, τοῦτο ἵνα ἀντὶ ῥήματος ὄνομα ἡμῖν γένηται, τό, τε ἕτερον αὐτόθεν ἰῶτα ἐξείλομεν, καὶ ἀντὶ ὀξείας τῆς μέσης συλλαβῆς βαρεῖαν ἐφθεγξάμεθα. ἄλλων δὲ τοὐναντίον ἐμβάλλομεν γράμματα, τὰ δὲ ΟΞΕΏΣ, ΒΑΡΎΤΕΡΑ φθεγγόμεθα. - - - τοῦτο τ ίνυν ἓν καὶ τὸ τῶν ἀνθρώπων ὄνομα πέπονθεν, ὥς ἐμοὶ δοκεῖ, ἐκ γὰρ ῥήματος ὄνομα γέγονεν, ἑνὸς γράμματος, τοῦ Α ἐξαιρεθέντος. καὶ ΒΑΡΥΤΈΡΑΣ τῆς τελευτῆς γενομένης.

18) *Deipnoſoph*. l. IX. c. 14. p. 400. a. τρύφων δὲ φησι, τὸν λαγὼν επ᾽ αἰτιατικῆς ἐν Δαναΐσιν Ἀριστοφάνης ΟΞΥΤΌΝΩΣ, καὶ μετὰ τοῦ ν λέγει. λύσας ἴσως ἂν τὸν λαγὼν συναρπάσειεν ἡμῶν. Καὶ ἐν Δαιταλεῦσιν. Απόλωλα τίλλων τὸν λαγὼν ὀφθήσομαι.

19) l. c. Ξενοφῶν δ᾽ ἐν τῷ Κυνηγετικῷ χωρὶς τοῦ ν λαγῶ καὶ ΠΕΡΙΣΠΩΜΈΝΩΣ. - - εἰσὶ δ᾽ οἱ καὶ ταῦτ᾽ ἀλόγως κατὰ τὴν τελευτῶσαν συλλαβὴν ΠΕΡΙΣΠΩΜΈΝΩΣ προφέρονται. δεῖ δὲ ὈΞΥΤΟΝΕΙΝ τὴν λέξιν.

Tria loca ARISTOTELIS ſuperſunt de *accentus* ſiue *προσῳδίας* fallacia, qualem ex *Scholiis* ARISTOPHANEM 20) luſiſſe cognoſcimus, cui occaſionem dederit *Amyniae* lapſus de equo.

1) ARISTOTELES inter loquentes ſtatim audiri & vix diſſimulari poſſe *accentus* concedit, *recte loquentes* nimirum; aut certe poteſt peti, vt diſtinguatur quod ambiguum eſt. In antiquorum autem poetarum verſibus interpretandis, quorum, vt hic ipſe locus indicat, aut nulli, aut certe *non ab auctoribus* erant *accentuum indices*, id ſuccedere minus. Docet nos exemplo 22) verſuum HOMERI duplici. Illo *primum*, quem *de meta lignea lapidibus impoſita* 23) emendatum eant, obiectionem *accentibus* diſſoluentes 24), dum *ȣ̓* eſſe *acutius* ſonandum contendant. *Deinde* & illud addit 25), quod ipſe de *ſomnio Agamem-*

20) *Nub.* v. 1275. & 1276. ΑΜΥΝ. Ἵππȣς γ᾽ ἐλαύνων ἐξέπεσον νὴ τȣ̀ς θεȣ́ς.
ΣΤΡΕΨ. Τί δῆτα ληρεῖς ὥσπερ ΑΠΟΝΟΥ καταπεσών.
Schol. Ὁ μέντοι πλάτων ἐν τρίτῳ Νόμων τὴν τελευταίαν ΠΕΡΙΣΠΑΙ ἀπο ΝΟΥ λέγων.

21) In libr. de *Elenchis* ſ. reprehens. ſophiſt. l. IIII. 8. παρὰ δὲ τὴν προσῳδίαν, inquit, ἐν μὲν τοῖς ἄνευ γραφῆς διαλεκτικοῖς ȣ̓ ῥᾴδιον ποιῆσαι λόγον, ἐν δὲ τοῖς γεγραμμένοις ἢ ποιήμασι μᾶλλον.

22) Pergit idem l. c. Οἷον καὶ τὸν Ὅμηρον ἔνιοι διορθȣ̃νται πρὸς τȣ̀ς ἐλέγχοντας ὡς ἀτόπως εἰρηκότα ΤΟ ΜΕΝ ΟΥ ΚΑΤΑΠΥΘΕΤΑΙ ὌΜΒΡΩΙ.

23) ΟΔΥΣ. Α. v. 160. 161:
ἕστηκε ξύλον αὖον, ὅσον τ᾽ ὀργυί᾽ ὑπὲρ αἴης.
Ἢ δρυὸς, ἢ πεύκης, τὸ μὲν ΟΥ καταπύθεται ὄμβρῳ.

24) ARIST. l. c. ſubſequitur: λύȣσι γὰρ αὐτὸ τῇ προσῳδίᾳ, λέγοντες. τὸ ΟΥ ὀξύτερον, vt non ſit ȣ̃, ſed ȣ̓, quod in contextu deprimitur.

25) Proſequitur haec l. c. his verbis: καὶ τὸ περὶ τὸ ἐνύπνιον τȣ̃ Αγαμέμνονος, ὅτι ȣ̓κ αὐτὸς ὁ Ζεὺς εἶπεν,
Δίδομεν δὲ οἱ εὖχος ἀρέσθαι.
ἀλλὰ τῷ ἐνυπνίῳ ἐνετέλλετο διδόναι.

memnonis HOMERVM dixiſſe vult 26). Ex quo loco certe paret, ARISTOTELIS aetate *accentu* diſtinctam eſſe primam perſonam pluralis, *δίδομεν*, ab infinito poetico *διδόμεν*; eumque *accentum* nihil metro poetico & ſcanſioni obſtitiſſe.

2) Idem ARISTOTELES ait 27), aut nusquam, aut raro *intenſiori* pronuntiatione vel *remiſſiori* mutari ſignificationem: hinc itaque viam dari ad fallendum ſophiſtis.

3) Qui luculentiſſimus eſt tertius de eadem re locus 28), argumentum ſophiſticum, cuius amphibologia voci *ȣ* ineſt, ita ſolvit 29), vt voculam hanc (*ȣ*) non idem ſignificare *acutius*, quod *grauius*, dictam contendat.

PLVTARCHVS de DEMOSTHENE refert 30), iurantem eum per AESCVLAPIVM acuiſſe ſyllabam, quae eſt ante penultimam, docuiſſeque, ſe hoc recte facere, eſſe enim Deum (*ἤπιον*) *mitem*.

Inſtar omnium vero multus eſt APOLLONIVS 31), in hac cauſa, praepoſitionem caſui poſtpoſitam *paroxytonon* fieri ex *oxytono* docens, & ita quidem vt appareat, illud vulgo non

26) Somnium illud eſt ILIAD. B. *princ.* verum hodie nihil ibi tale. Habetur quidem hoc hemiſtichium, quod profert ARISTOTELES ILIAD. Φ. v. 297 in re ſimili. ſiue igitur memoria lapſus ARISTOTELES; ſiue alia vſus eſt editione.

27) l. c. I. 7. 3. *ȣ γὰρ ἄλλο δοκεῖ σημαίνειν* 'ANIE'MENOS, *καὶ* 'EΠITEINO'MENOS *ὁ λόγος ἐπ' ȣδενὸς, ἢ ȣκ ἐπὶ πολλῶν.*

28) Ibidem c. 21. *Ἆρα γ' ἐστὶ τὸ* 'OY *καταλύεις ἀπόφασις; ἔφησας δὲ εἶναι τὸ* 'OY *καταλύεις οἰκίαν.* 'H *οἰκία ἄρα ἀπόφασις.*

29) Subiicit: *ȣ γὰρ ταὐτὸ σημαίνει (intell. τὸ* 'OY *) ὀξύτερον, τὸ δὲ βραδύτερον ῥηθέν.*

30) *In* X. *oratt.* vitis p. 845. B. *ὤμνυε δὲ καὶ τὸν* 'Ἀσκληπιὸν ΠΡΟΠΑΡΟΞΥΝΩΝ *Ἀσκλήπιον καὶ παρεδείκνυεν αὐτὸν ὀρθῶς λέγοντα, εἶναι γὰρ τὸν Θεὸν ἤπιον.*

31) Qui ſub TRAIANO ſcripſit, in opere *περὶ Συντάξεως*, non in ea, quam nunc quartam vulgo facimus grammaticae partem, ſed in arte legendi, diſtinguendi, intelligendique adeo poetas & ſcriptores alios v. g. vt ſciamus, vtrum legendum ſit *εὖ νοᾶ* an

non distinctum fuisse in libris, sed a legentibus supplendum. Nempe magna ars fuit recte legere & pulchre pronuntiare vno tenore scriptam orationem, continuatis sine interuallo literis, & vbi nulla apposita sunt *accentuum* signa. Vtitur in ea re nominibus *oxytoni*, *paroxytoni*, & quaecunque ad eam doctrinam pertinent; nusquam tamen, quod obseruarimus, figurae *accentuum*, hoc est signorum oculos subeuntium mentionem facit.

Horum igitur praeceptiones quum obseruet ac sequatur & nostra accentus ponendi in graecis ratio: dubitari nequit, nos eosdem habere *accentus* siue tonos, quos illi literarum harum consultissimi probarunt.

VIII. Mihi itaque vt ad *accentuum signa* iam perueniamus, rem totam ex omni parte sedulo consideranti id vero proximum & ei maxime congruum videtur, *graecos*, qui & mature sane, quin omnium forte *primi*, sermonem suum *regulis* quibusdam *grammaticis* concluserint, quo facilius celeriusque *peregrini* eum comprehenderent, maxime *Alexandrinos*, qui ad subleuandum eorum laborem, qui discunt, omnibus conquisitis subsidiis, tanto illum acceptiorem reddere sunt conati, hos, inquam, non inculcasse solum diligenter hanc orationis suauitatem, sed *sensim* etiam *locis inexpeditioribus* coepisse adpingere quoque illi syllabae, quae esset *intendenda* magis *notulam* rem ipsam vtcunque referentem. *Horum grammaticorum* primus censetur ex fide APOLLONII, ARCADII, aliorumque graecorum magistrorum ARISTOPHANES *literator*. *Huius* discipulus ARISTARCHVS prae-

 cepto-

an 'ευνοῶ; Διόςκορος, an Διὸς κόρος; ἐπὶ πλεῖον, an ἐπὶ πλεῖον. Legentis modo pronuntiationem instruit, vt si quis hodie germanicam pronuntionem docturus dicat, vocem *Gebet*, si nomen sit, esse perispomenon; paroxytonon autem, si verbum secundae personae. Aut *Der* articulum suo nomini praemissum esse βαρὺ, ὁμαλὸν, non attollendum: *Der* antecedens relativi esse perispomenon cum sequenti *gleichen* esse plane copulandum sine tenore vt sit *dergléichen*.

ceptoris perſequutus eſt veſtigia, & DIONYSIVS THRAX, qui ARISTARCHVM audiuit. Quos exceperunt *magnae ſcholae* illius *Alexandrinae* doctores. Ordine eos refert ſuo *Clar.* VOSSIVS 32), quem omnino hic ſequi fas eſt. Eſt APOLLONIVS nempe *Dyſcolos*, ORION, HERODIANVS, ALEXANDER, ASTYAGES, ORIGENES, AGAPETVS, PHILOPONVS, SERGIVS, APOLLONIVS *iunior*, ARISTARCHVS *iunior*, IOHANNES AVXONIVS, HERODIANVS *magnus*, GEORGIVS CHOEROBOSIVS & complures deinceps alii, qui omnes, quanto aetate poſteriores, tanto pluribus praeceptis *accentuum doctrinam* inuoluerunt. Et lubens omnino adſentior IS. VOSSIO, ante *tertium* a CHRISTO *nato* ſeculum, opus non fuiſſe toti apicibus ſcripturas onerare, vt a *decem* cumprimis inde *ſeculis* circiter factum eſſe videmus. In nullis monumentis, nullo in numiſmate, nec in codicibus, quos ante illud tempus exaratos tenemus, virgulae illae conſpicantur. Id quod documento nobis eſt vero ſatis ſimili, *florente* & integra adhuc *graeca* loquendi ratione, ſaltim minus frequenter aliis vſibus has *notas* fuiſſe adhibitas a gram maticis, quam ad pueritiam erudiendam, & docendos homines peregrinos. Ad quem modum & anglicum ſermonem methodo Ludewigiana nos diſcimus. Opus autem erat *paulatim* libris graecis, ſingulisque vocibus, quae & grammaticorum fuit cura, & ſuos iuuandi cupiditas, apponi haec *faſtigia*, quae ſint *accentuum notae*, quo magis graecia in ipſa graecia deſiderari coepit. Magnis namque paſſibus ad barbariem & ipſi graeci tendebant. *Dialectorum* confuſa varietas, *gentium* mira colluuies, quae in graeciam confluebant, graecorum linguam iam vehementer diſturbauerant, *bella* denique cum gentibus barbaris omnem temerauere

32) In elegantiſſimo libello *de poematum cantu & viribus rythmi*. Oxon 1673. p. 18. cuius locum modeſte HENR. CHR. HENNINIVS *purpureum limbum ſuo panno ſubtextum dicit*, i. e. ſuae diſſert. paradoxae Ἑλληνισμȣ ὀρθῳδȣ *Traject ad Rhen.* 1684.

rauere, atque infecere graeciam. qua ratione factum eſt, vt graeci foeda barbarie deturpati vix vllam priſtinae ſuauitatis umbram retinerent.

IX. Diuerſa ſemper, quum in omnibus rebus, tum in literis, & varia eſt fortuna. Nam ſicuti magnae fuit *fortunae*, curate *omnium* vocum ſonos *intenſiores*, vt res ipſa vrgeret, notare, ita accidit *caſu* forte maiori, vt ea res demum χρόνων ſiue *temporum* & *quantitatis* doctrinam nobis corrumperet. Eſt, lapſa omni demum graecitate, quum non pronuntiando ſolum, verum etiam ſcribendo *miſcerent* vocales *longas* & *breues*, quin plane illud diſcrimen, vt plerique *ſeptemtrionales* negligerent, exortum genus illud *politicorum*, quos vocant, verſuum, ad ſolum *accentum* vtcunque accommodatum, cuius luculentum ſpecimen ſunt illae TZETZIS *Chiliades*. *Clariſ.* VOSSIVS 33) hos verſus ideo *politicos* dici, ait, quod aliquam ſimilitudinem habere videantur cum iis verſibus, quos inter *nouem heroicorum ſpecies* grammatici cenſent; quique quod nullos moueant affectus, ſintque maxime *humiles*, *populares* & *pedeſtri ſimiles* ſermoni, πολιτικοὶ & λογοειδεῖς appellantur. Non dubitat *Vir celeberrimus*, quin a corrupta heroici carminis pronuntiatione verſus illi *politici* originem traxerint; quum ſi vel HOMERI vel aliorum poemata ad legem horum cacuminum exprimas, tales verſus cognoſcas. Monet idem *Vir clariſſimus*, hos, qui primi iſtius modi verſus vſurparint, licet pravo laborarint zelo; non tamen omnino ſyllabarum neglexiſſe rationem; ſed qui proxime elapſis ſeptem vel octo ſeculis floruere, quum viderent, ſe aeui ſui auribus non ſatisfacere propter immutatam pronuntiationem, omiſſa antiqua & naturali ſyllabarum quantitate, ſolam vernaculorum tonorum ſiue accentuum ſpecialius dictorum habuiſſe rationem, ſatius ducentes a veterum praeceptis, quam a recepta ſuis temporibus

33) l. c. p. 21. 22. ſqq.

bus recedere consuetudine. Et ex hoc fonte omnis peruersa illa *tonum producendi*, neglecta *vera* syllabarum graecarum quantitate manauit consuetudo, ad quam in scholis nostris fere omnibus ad hoc usque tempus formamur fancte omnes.

X. Omnes lites iam ac controuersias, quae ab renatis inde literis, ex harum rerum tenebris ortae sunt, quod essent tamen semper *viri docti*, quibus prava haec consuetudo displiceret; pluribus enumerare non fert instituti nostri ratio 34).

Disputatur, quod tamen *coronidis* loco dixerim, utrum hae *accentuum notae* sint *retinendae*, an vero *dimittendae? Retinendas* eas omnino censeo. Nam ad veterem suauiter pronuntiandi rationem, si non plane restituendam, ad intelligendam certe multum faciunt. Et non assequeris profecto intellectu bonam tot librorum partem, qui hodie exstant, nisi *doctrina accentuum* imbutus. Taceo maiorem esse *toni* varietatem apud graecos, quam quae possit nunc, quum *vsu* eius linguae destituamur, *absque illis figuris* tam facile disci.

Si quis nihilo tamen minus *pauca* quaedam verba *testimonii* aut illustrationis ergo exscribere velit, relictis his, typographorum maxime oscitatione commotus *accentuum* notis, vbi nempe nec suauitatis huius agitur caussa, nec facile obscuritatis quid hic neglectus inferat, aut alias nectat difficultates; equidem viros doctos facile patior suo frui ingenio; dummodo non argumententur, quum alia sit *toni* & eius *signorum*, alia *longitudinis* significatio; *hos indices ac custodes* prorsus abiiciendos esse. Aliud est illorum officium, *intendere nempe cum suauitate syllabam.*

34) Docte admodum & laboriose plurima profert IVST. WESS. RVMPAEVS in *comment crit.* ad *libr. Noui Test. in genere.* Lipf. 1730. p. 160. sqq.

